Sertkowicz Thomas: Sol academicus supremum honorum augent in occasu tenens—

SOL
ACADEMICVS

Supremam honorum Augem
ín Occasu tenens,
Cynthiam Otthomanicam, plenilunium potentiæ
in Oriente præseferentem, teterrima ecclipsi

PERCELLENS

D. JOANNES CANTIVS.

S. Theol: Doctor, & eiusdem in Vniuersitate Cracouiensi Professor,
Regni Poloniæ, eiusq; Generalis, ac Vnicæ Scholæ,

SINGVLARISSIMVS

PATRONVS,

Ipso Annuæ Solennitatis Eius die, in Aedibus B. V. MARIÆ in Summo
Posnaniæ, XIV. Calen: Nouembr: Magnæ Magnorum Virorum Coronæ.

ORATIONE PANEGYRICA,

Per

M. Thomam Sertkowicz, Phiæ in Vniuersitate Cracouień Doctorem, & in Academia Posnaniensi Rhetorices Professorem.

CELEBRATVS,

Luciq; publicæ

EXHIBITVS.

Anno

QVo SoL IVstItIæ Lato MVnDo benè LVXIt:

1684

POSNANIÆ.
In Typogr: Rndi D. Alberri Láktáński.

Autor Colonus Coro donat.

Jn Gentilitia Arma Jllustrissimæ Domûs RADOMICCIANÆ & VIEYSCIANÆ



Epigramma.

Ne vacuum cense, vacuum qui gramine cernis
Hunc CAMPVM: magnis fructibus ille scatet.
En rubet, vberiusq; Sabinis horrea glebis
Stipat, nec putri prædia fruge replet.
Tollitur inde fames Patriæ, ac attollitur inde
Fama, cui hinc humor Sanguinolentus adest.
GRYPHS quoq; non frustra Materna huc prodit in AVRAM
Hostiles adigit, nare cruore stryges.

Vladislaus à Radomicko Radomicki
Studiosus Academiæ Posnanień
Filius Patri beneuolentissimus

JLLVSTRISSIMO ET MAGNIFICO DOMINO,

D. CASIMIRO

DE RADOMICKO

RADOMICKI,

CASTELLANO CALISSIENSI, MOSINENSI &c. &c. CAPITANEO.

DOMINO & BENEFACTORI AMPLISSIMO,

Auctor omnem de Super proſperitatem apprecatur.

A*Vguſtum Academiæ ſplendidumq́* Solem D. IOANNEM CANTIVM, *in ſolo auguſto* Gentilitij Tui Soli. *Hemiſphærio ad* GRYPHIANVM *ſydus ſua & eligiſſe & ſtatuiſſe ſolſtitiorum domicilia, nec inconueniens nec indecorum, ubi Magnus inter Planetas Sol, hodie ad Capricorni ima ſtetit,* ILLVSTRISSIME & MAGNIFICE DOMINE. *Dulcis etenim ſeipſo repræſentantis ſolitudinem non materialis, quia myſtici huius* PHÆBI *Sympatia, illud quæſiuit Solium, in quo non ſ lùn equidem, at præ reliquis Academico lumini fauentiſſimũ ut enituit, ita nunc patet gremium. An equidem lippiet quiſpiam, in* Tuo Gentilitio CAMPO *conſpicuus, dicti* Titanis *mira ſerenitate ſpatiari, reflectique non aduertet radios, in cuius Purpurea* Acie *Academicis olim* Chironibus *ad excollendum tradita, in plantandis doctrinæ floribus, cœleſtium inſpirati-*

onum fauor emicuit. Impuber adhuc censebare, dum maturis virtutum pubescens fruticetis, ad continuum maturi fructûs incrementum, feruidis in hoc SOLE Ethesijs accendebare. Vacuum Gentilitij CAMPI nemo retur Monile, quanquam affatim fuso, Maximorumque Maiorum belle pro Patria bellantium, hostiumque sanguine confusum, in quo vltra millena Patrum, tam intra Curules sellas Consos, quàm in acie Gradiuos praesoferentium, merita, ex oculis quanquam jam elapsa, non tamen mentibus vnquam euaporanda: millena in Te Ipso ILLVSTRISSIME & MAGNIFICE DOMINE omnigenae virtutis, à tenero vngue rigante Academicae institutionis rore irradicata, pullulant documenta. Quidni in frigido Arctoi Orbis Sarmatici Climate decuit in Fertilissimo ILLVSTRISSIMAE DOMVS CAMPO, vberes Academiae ad apertos SOLIS huius Sacrorum Cinerum radios colligere Palladem, copiosae messis manipulos, vbi breui ad Sacra DD: Apostolorum limina Portae Tuo in aduentu Sacrae, felici Anno, Magno Iubileo, contigit reseratio; vel hoc ipso fauens rebus Polonis Caelum, Virtutibus Tuis vt daret calculum: sic primos vlterioris Tuae vitae flores sibi candidos, quibus etiam pullulantibus Adriae inquieto aureae in annulo datae compedes. Non meliùs CASIMIRI Nomen, rei suae conuenire potuit, quàm suaueolentibus cassia mirrhaque in Gentilitio CAMPO Tuo, etiam inter debacchantes quosque Haereticorum rigorum Aquilones, Trino Vnique rerum Satori aequabiliter sine interruptione odorem ferentibus. Rugierat austera Suecorum Arctos adfurentium audaciâ Leonum rugitus, mediosque inter deficientium à genuino Principe non iam solius vulgi caetus, sed huius soli Sarmatici Magnatum Ordines debacchabatur: in Tuo CAMPO nequidquam lambendo perficiens, inanum vesanam rabiem in Tuas fortunas extrema Vulcani ruina easdem absumere ardens, effudit: imò cuncta Gottorum Vandalorumque vada, nihil malacijs ad malum conatum, blanditijsque & suorum, & foedifragorum Ciuium ad nefandum facinus fectentia, profundis nec facilè euitandis ab imo fundo transmarinis exundantia procellis, cùm alibi ancheras fixêre, in Solo Natalis Tui Monilis Solo nullum sali sui canum reliquêre. Declarasti idmente Sabina, fidus vtriusque sortis Principi Achates, dum dedignatus, vt genuinus Aquilae pullus, respiciens Aeternum Solem, inconuenientes militi Ciuique tenebras, liberali copia aeris effusa, defendendae gratiâ conseruandaeque Patriae, tam periculosissimo casu, mercenarium Glogouiae Equitem conduxisti, illisq; ipsis tormentorum machinis, quorum oblatione Te pellicere ad se conabantur, strenue hostili toties cum Tuis impetui restitisti, ac in SOLO Tuo nihil tale inueniri, quod Solem lateret, docuisti. Harpocrati etsi adoleam ego, Orcades ipsae ad Lesznam, Calissium, Varsauiam, imò maximè Cuiauiae ad Brestensem Ciuitatem spatiantes, haec Tua perorabunt gesta, quàm Herculea tum magnanimitate, amore penè Codri, animam pro Patria, in tela hostium

stium dedisti, quàm Hectorea mente, pectus Tuum, pro integritate Principis, tunc libens obtulisti, quum constans infulminatrices Martis ruebas turmas, vt nisi rabidæ Parcæ, hic in humanas non regenerassent Gratias, peropportunis vitam Tuam seruantes temporibus, Polonia tota, amisso sui tanto Defensore, magis quàm ob Dictatorem Latium, doleret. Mirabitur hanc Tuam incomparabilem fortitudinem constantiamque immobilem sola virtutum incorrupta seruatrix vetustas; obstupescet hoc factum, vtq; posteritati nasciturae posterior enarret ætas præcipiet, sic æternùm vt laude viuas. Virtutis præmium honorem calens Inuictissimus Rex, plusquam Vlyssea exemplar patientiæ IOANNES CASIMIRVS, CASIMIRO Tibi *condignum virtutis præmium, nouam gloriæ possessionem Illustrissimi Castellanatûs Calissiensis, citra curas, non merita, non citra virtutes, cum festiuo Larium iubilo, gratanter offerendo, mittit: vt sic præclaris Tuorum operum facinoribus, non ex Sola duntaxat conscientia merces constaret, sed haberet nobile theatrum, Phœbi istius Academici olim splēdore irradiatū, virtus emerita vnde vndiq; spectata probataq; cæteris vel ad plausum sufficeret, vel ad calcar. Maiora, rerum moderatrix Dea, Virtuti Tuæ, nec negat nec negabat, verùm mens augusta & vetat & vetabat, magno contenta fauore. Probitatis tamen huius splendor, ne otiari præsenti æuo videatur, in senaculum Martis, senilis plenum grauitatis, Te euocauit; Viennensibus Vniuerso Orbi notissimis, posteritati stupendis sistens & Sago & Palmæ; sic gloriosissimæ famæ vt cum* GRATIA *Dei*, IOANNE Rege Augustissimo *particeps ritè fieres, fortissimus quadrangularis figuræ in quatuor* Illustribus Natis Patriæ Atlas, *futuris exemplum Curtijs relicturus. Ipso in ortu Quinquaginta Priami filiorum excidiū Troię vnde non decrepitæ felicitatis omen in themate prognosis ad Horoscopum ascendebat. Vnus Paris vel ab ipso somnio Hecubæ Ilii cōflagrādi ardens fax, & qui inconcussi status Teucrorum spes plena fuerat, idem irreparabilis ruinæ occasio sic beatior in Philippide Philippus, beatior in suo, in bonitate pessimo, in felicitate infelicissimo Annibale Dux Pænorū Amilcar. Vterque in vno, alij citra plures in paucis. Gerat Cornelia inter Romanas primi* Nominis *& ornamenti Matronas iubilos prægnantes, non sui alia ornamenta esse quàm filios, quos tamen non in sanguineum atrociū Numinū ad aras holocaustū, nisi solius in Martis obsequium pro Patria mori, lactauit, gerat inquam hic tamen desinet vbi Nomini Tuo* Illustrissime SENATOR *grandiores dabit titulos hinc* Patria, *hinc Ecclesia, inde* MARS, *illinc* Pallas *in Illustribus Dominis* D. MATHIA, ANDREA, STEPHANO, VLADISLAOque *Academicæ Ornamentis Posnaniensis Scholæ. Perennabit vbique* CASIMIRIANVM *in his Nomen, quoadusq; Campus hic Gentilitius in* RADOMICCIANO *reflorescet Nomine In tanta iam Illustrissimarum, quà domi forisque, quà pro Deo contraq; infernalis Medusæ prolem, virtutum compage, tenebrionem Appium quisquis egerit, Homerum & ego ophtalmicum*

vltra

vltra credo me fore ILLVSTRISSIME & MAGNIFICE DOMINE. *Perstringit gloriæ huius Tuæ limpidissimus radius natiuam imbecillitatem meam, ne vltra vmbratilem in laudem eius agam Opticum, ipse in Celsiorem Nominis Tui splendorem dignè quòd cessurus sit* D. *hic* Academicus Sol, *& confidens & sciens. Lucem inextinguibilem, quia lucem etiam inaccessibilem manentem,* Illustrissimæ Tuæ, *quia* Senatoriæ *immisceo luci.* Solem Academicum *indignius Maximi Nominis Tui Decus offero, vt sic splendidiùs luceat lux* Illustrissimæ Domûs *in Sarmatico Orbe. Quidquid squalidarum, dum in Maximo* IOANNE *minimus fueram Orator, hactenus inconcinni & sermonis & splendoris fuerit vmbrarum, totum id dispellet Illustrissimi Nominis splendor, vel ex eo, quòd nefas in radianti luce tenebrionem stare, & tenebras diffundi: vel ex eo, quòd tetras eas dissipabit Senatoria Illustrissima Tua Maiestas, si modò patrocinauerit vt oblato, sic offerenti*

Illustrissimæ & Magnificæ Dn̄ationis Mecœnatis Fauentissimi

Seruo humillimo
& Clienti addictissimo
M. T. S. P. D. P. R. P.

SOL ACADEMICVS

PEriculosis allui & sẽper & nunc procellis, nec in securiora eluctari vada: Cretæis vrgeri fatis, & nec Icarias meditari pennas: horridis Bellonæ vastari ballistis, nec modum repulsæ cogitare: Cymmerijs obnubilari tenebris, nec in lucem eniti; æque est ac egere Anticyrâ AA. Quid enim iuratus cœli terræq; rigor, imò laxata Ditis atria, in perniciẽ nostri generis truculẽtius, præsenti ævo, moliri, & ab ipsa Steropis incude procudere valuerunt: quàm cùm rapinis vasta cuncta, incendijs torrida, ruinis insepulta, videmus: prorutas domos, euersas fortunas, profugam nobilitatem, omnis humanæ indigam opis, spectamus: raptatos ab Æneis Ascanios, imbellem sexum superbissimis hostium pedibus toties aduolutum, melle & lacte, imò auro fluentium Regionum templa, altaria, focos, & quæq; sacra Diuûm penetralia & adyta, solo æquata stabulisq; profanata intuemur? Quid crudelius, sitiens humani cruoris armorum Præses Gradiuus, vel ab ipsa ferrea Vulcani fabrica potuit postulare, vltimæ tempestatis ingluuie, vt nos absorbeat? quàm cùm furore accendit, vt hic fatalis mundi terror ac prædo, hic supra mensuram humanæ superbiæ tumens Byzantinus Caligula, ferrum exitiale stringat, & liberam Polonorum ceruicem, imò totius consternatæ Christianitatis, demetat in seruitutem. Quid demum ipsæ etiam teterrimæ in Eumenidas, graueolentes, Auernalium Cerberi cauernarum tenebræ obumbrandi non tam nos, quàm totius compagem Orbis, iam non de flammiuomo laboriosæ regionis Vesuuio, aut vaporifera, Latij horrei, Aethna; sed rapido velut de Hellesponti gurgite, euomere largiùs potuerunt: quàm cornigeræ Orientis Cynthiæ ingentis potentiæ, cùm mouerunt Orbem; vt nos atrâ suâ caligine obfuscet obtenebretq;. Ecquis ergo secretiorum naturæ indagator modò non inueniretur? qui vel cum Sceptrigeris Persarum centoculum non prouideat Theombrocion: vel cum aliis, altis in Scamandri gurgitibus sistri grana non quærat, seseq; illis stipet: vt vel illius naturaliter sibi indita virtute pellat has corporis ac mentis afflictiones: vel istius fortitudinem resistendi consequatur. Quis saltem cum inerti Epeo has opacas potentiæ Othomanicæ vmbras effugere non audebit? vel dispandere cum Phœbo non curabit? Verùm arietet vt lubet, feriatq; ominoso metu, non tamen prosternet cadentes animos, hic atrox periculi impetus, iubent hispidis expedire frontem nubibus nondum præcipites in occasum Poloniæ Soles: iubent bono esse animo quotidiana Diuinæ circa Christianitatem prouidentiæ argumenta: en attollit cadentem, crassâ Lunæ Orientis caligine pressam, Lechiæ spem, humilibus votis, & hodiernum ipso ab ortu lucidissimum Academiæ Sidus, triumphi nostri desiderabilis Auspex, communis Patriæ, singularis Vindex & Assertor, Diuus IOANNES CANTIVS. Assurge iam assurge in meliores ausus vel hinc tota Christianitas, cùm intueris de nouis Ecclesiæ scrutiniis lucidos Sanctitatis Diui Doctoris radios fulgere. Exultes effusa in gaudia, cùm palã vides, ab occidente explicari Patroni Tui Orientem versus radiantes virtutũ splendores; quibus liberari tantæ potentiæ tenebris perbelle poteris. Ruet

ruet ineuitabili fatorum casu donec corruat, inconstantiæ Machometi versissima protome cornuta Phœbe, &Lechiæ Clangus, imò tota Christianitas, immarcescibiles adelphides & laurus, nouum intonans Cælo iubilum feret; si huius Diuinissimi Indigetis, improba incommoditatum & tribulationum afflicta ingluuie, latepatentes protectionis radios, humili precatione assequeris. Communem hanc vitæ nobiscum trahens auram, ideo perpetui in ipsum à Maiestate Diuina benignitatis riui fluxère, ipsis toti mundo indeffessus ut fulgeret fulgeatq;. Iam in illo Angelica innocentia non soli tantùm Patriæ, verùm toti cœlo fulgebat. Iam amoris Dei ac proximi, qualibet in depressæ fortunæ rabie obuios saluando, placidi sese æstus explicabant. Iam cælestis sapientiæ lumen, tot adyta ignorantium, clarum facilis intelligentiæ instillãdo iubar, & difficultatum intricatarum plusquam Gordios dispandendo nodos, illustrabat. Totam, vt breuioribus dicam, vitam eius, innumeris virtutum splendoribus æstuantem, vnde effectus admirandos vbiq; gentium producẽtem, meritò Phœbum vocares, nisi istius adhuc inuidiam, qui vt solus luceat, cætera lumina extinguit, lucis suæ benignitate correxisset. Quærat ergo ac summâ contetur curâ vt lubet alibi, tota Christianitas, ad communis hostis ab Oriente caligantis Cynthiæ reprimendos belli fulgores, caliginemq; eius potentiæ amouendam, Phœbi auxiliatrices radios; felicissimam ego ipsi hodie has dispellendi tenebras lucem, bono omine, ostendam; dum B. IOANNEM CANTIVM Academiæ SOLEM rudi licet Mineruæ penicillo delineabo: & ipso ab Occasu ecclipsim Lunæ Turcicæ inferentem demonstrabo. Conamur dum tantam aggredi tenues spartam, cui sua maiestas supra omnes calamistrorum fucos satis dat venerationis & splendoris; Tuam ô Lucidissime SOL D. Doctor, indignus licet, prostratus tamẽ imploro opem. Tu illâ Tuâ omnigenâ scientiæ medullâ, meam titubantem linguam corrobores, ac præ inscitia caligantem eloquij cursum, lucis Tuæ splendore confirma: vt sic quoq; incondita hæc dicta prodeant in triumphum: nam licet non omnibus detur adire Corynthum, nihil tamen adeo proiectum est quod vsui esse, non possit. Annuere dignaberis humanissimæ beneuolentiæ & attentionis aurâ dicendis AA. cùm ipse splendor SOLIS istius tibi commodus, à Te id rectè exposcat.

Augustam Phœbi lucem, angusta definire voce, onusta eius opera, sed venusta, contracto explicare sono, qui ad amussim desudant, vereor ne ignẽ gladio fodere videantur AA. Magnus hic (si Diuino credimus Platoni,) Deus, exili ne prædicetur ab ore, vel ideo meretur, quòd rapiat in admirationem vniuersos, quum ipse rapitur, purpurascenti suo in ortu veloci quadriga, vberrima Orbi gaudia ferens. Roseum namq; Phosphori linquens balneum, cuncta aureo viuificat radio, vbiq; terrarum Aeolijs agitata Zephiris monstrat ac ostendit, & non solis Hæmi gelidis in vallibus adeo hilaria Tempe, vt eius aduentui, omnes amœnitatis species arrideant. Hinc fit vt sonoros, cum Eridani leui susurro, cum lusciniæ suaui non rauco cantu, vultum eius, purpuram & rosas indutum spectantes, sonos reddant: omniparæ Opis decora, monstrent floriferum ver, quanquam vmbra ipsius caliginosa, aliquot tantùm horis, sat fœcundi subministrando roris, delicatæ fragrantiam Floræ ademit. Vnde non alia illius labra, quàm æqui seruantissima, oraculumq; falli nescium mihi visa, cuius Phanetẽ Liberum dixère; cuncta namq; teterrimo liberat lymbo: temporum certissimum indicem, nam huius mensurâ ducimur in requiem, deciduorum à fronte sudorum, iustum vindicem: Elementorum totiusq; cœlestis Machinæ rectorem: etenim agnouère Principem Planetarum, totiusq; amœnitatis vectorem. Verùm non ita intricauit cursum nostri mystici SOLIS natura

natura, cui quandoq; sua. inest matura tenacitas, vt notus cœlo, vniuerso etiam notus terrestri non fieret Orbi, cùm toties ex rostris decantatus hic Cantus, omnium patuit curiosis oculis, quàm euidentes in Horizonte Polono reliquerit cursus. Si namq; contareris, quis non solus equidem, ast inter omnes solidiùs, in Iagellonico Sapientûm Firmamento ac solio, tot inter confluxus, à tribus propè sæculis, lucens prospiceretur: sanè non tam videres, quàm palpares IOANNEM CANTIVM. Si sciscitareris, quis medius, vt SOL inter Planetas Regno Lechiadum illo æuo, beatos inter bis trinos Spiritus, Sanctitatis ac virtutum splendore fulgens extiterit; actutum deprehenderes, quin attrectares IOANNEM CANTIVM. Excelsa mens Astronomorum, quæ inter plebeia studia atq; vmbraticas curas serpere dedignatur, superas domos dum scandit, totaq; Diuinitati immiscetur, eo ipso Mathematicas disciplinas non esse rem priuatam demonstrans, luculentioris inuestigandi cursûs causâ, luminaris quod præest diei, gyrum vniuersi quibus absoluat, duos Excentricos secundùm quid dictos Orbes, & vnum simpliciter noncupatum, adinuenit, assignauitq;. Splendida, vasta amplitudine, vt ædium amphitalami vestibula, interiorem declarant ornatum: ita nobis venturis ad primi Orbis ingentium virtutum stupenda Tua D. Patriarcha penetralia, debet priùs laudationis ingressum & prædicationis ianuam, Tuus præbere Ortus. Ortus Mystici Apollinis nostri, non ex mollis Deli, aut rigentis Tauri iugis, vt vatum de erratico constat nugis, sed præruptis vallibus saxosi Carpati, duritie & altitudine ab ipso etiam callido Pæno insuperabilibus illuxit; non vasto ab Oceano auriferum tollens caput, auream puniceo suis quadrigis de cubili fugando horam, flammiferum lauans Pyroentin, verùm à rapidis *Solá* Istulaue amnibus, vniverso Polo Polono, feliciori passu, quam olim Ausonijs oris Phaetonte ductore Cœlestis, hic affulsit. O quàm desiderabile vndis ipsis, imò littoribꝰ verticibusq; Riphæis non modò mortalibus Kentensis Ciuitatis spectaculũ. Non ne læta arsit tum Orbi Lechico dies, quo ipsi auricomum orientis huius Titanis iubar illuxit! Non ne lætum decantauit IO, grata hospitis grati Patria, quum fulgens ipsius radius Diales ipsius Lares illustrauit. Nec immerito: festinata namq; felicitas illius, extremè laboraturæ, vltra vota maturè præuenit, totum vultum ferens Gratijs concinnatum, ipsoq; aspectu fortunam spirans, ceu omnes ad aliquid à se requirendum inuitaret. Lucina cum Ioue vix Leuanæ tradunt infantem, Dulcissimi Progenitores, magnum lætitiæ semen præseferentes, augurantur meliorem nasci consentaneum è melioribus: hinc natum CANTIVM vniuersæ Gratiam Patriæ à Superis datam vocant: cùm IOANNEM prænominant: nec in cassum, nam ortum Stanislao & Anna vt SIT SALVANS *Gratia.* Radijs armatum, imò salutiferum; noxa enim Originali mũdum; sacro, nam Lustrali Oceano tinctum, cùm attolleret caput Tytan noster; Orbem Excentricum sui cursûs primum secundùm quid, breui scandit, nimirum Adolescentiam; sanctitatis, virtutum, ac sapientiæ augem ocyus cõsecuturus. Orbis hic Astronomorum delineatione, terræ centro superficiem secundùm concauam concentricus, secundùm verò conuexam excentricus demonstratur. Diue Patriarcha noster, dum mihi laudandus occurrerit, primus hic ætatis Tuæ Orbis, adeo virtutum Tuarum fulgens radius, humentes meos, tam corporis, quàm animi, adussit oculos, vt crederet aliquis socordem Murceam mihi sapere, vel Aegyptium Harpocratem Tibi me velle litare, nisi tuus hoc in passu hilaritatis radius, me animaret. Secreta enim æstimatione pensaui, vt tum eruptione virtutis ac sanctitatis tumens Tuum germen, tandem flos præcursor bonæ indolis, lætior magis quàm vberior apparebat, semper spernens superficiem Orbis huius concauam, terræ concentricam, vti multis mutati-

mutationibus obnoxiam vicinamq; lapsibus, & gyrans ceu non p ... rætextatus per superiorem conuexam excentricam terræ Cœlestibus quò fac ... ilius donis imbuereris. Animo reputaui meo, vt tum contra rationem ætatis (q ... uod negas natura,) maximorũ fructuum, maturã perceptionem, vota ac desi ... deria, quà docẽtium, quà audientiũ magna cum hilaritate colligebant. Omnia ... Te D. Doctor, vltra quàm Herculis columnas; vltra naturæ instituta agentẽ, cùm ... viderunt. Rapido cursu suo Orbi Academico, amœniori curu, quàm si triga ... Gratiarũ, cùm accurrisset CANTIVS, quo dicam animo, quantâ lætitiâ, suo formo ... so Apollini Graciadũ Musæ, Præsidem sui Parnassi bicollis, quãquam tenellũ sa ... lutantes, in occursum ibant, imò ruebant. O felicia tum Craci mœnia, quæ iam n ... on Solonem ad conscribendas leges in meditullium vestri recepistis, ast Phœbu ... m luciferum; qui vestræ vrbis adyta & anfractus irradians, docebat iniqu ... s viam veritatis? Feliciora Aquilæ Sarmatarum deposita Cidares baccatæ, Vauel ... li præstantissima ornamenta; quòd iam non Colchorum Draconem ad custo ... dendũ sui, verùm ipsum ab expugnatione, imò deprædatione Gallorum, quo ... dam Delphos defendentem, Appollinem habuistis cælitùs destinatum. Felicissimum studiorum Regni Delicium Sarmatici, Septemtrionis Ocelle, vnica vt Filia Regum Lechiæ, sic decus maximum, Cracouiense Archilycæum, quòd natiuo Principum splendori, quo plusquam tribus sæculis ouans coruscas, Planetam hunc lucidissimum; auctorem namq; maioris Tuæ lucis, bonis auibus Orbi Tuo affixum inspexisti. Facessite iam hinc mollitie notati Iones facessite! exulate artificiosæ Memnonis statuæ Orientem salutantes solem: quum ortum D. IOANNIS CANTII suo in Hemisphærio Almã Matrem Academiam excipientẽ mira cum hilaritate videtis. Tac etis sonoros edere sonos, cùm pronã salutantem AVE PHOEBE clarè auditis. Ac sanè intereat D. Doctor Diuinum Tuum ingenij culmen, isto in Helicone priùs excoli post extolli, cùm videreris per Pieridum chorum sic coli. Accenditur quippe animus hominũ, plurimum cùm videt suo in aduentu ominum. Excellendo tenellum genium variarum disciplinarum primordijs adeo veloci cursu quæq; asperrima peragrauit, omniaq; abdita artium, quanquam difficultatum nodis inuoluta, splendore sidereo absq; mora penetrauit, vbiq; lucis suæ radium, quò alijs facilior accessus pateat, rutilantem relinquens, vt citiùs in auge scientiarum ac honorũ conspectus, quàm in cursu deprehensus aut visus. Vetustatis perspicacem solertiam vel hinc dignam iudico venustatis, quòd dixerit Solem præteritorum ac futurorum, ceu hunc cui cuncta patent & quem nulla latent notitiam habere, Quàm ego veriori vtar apostrophe D. noster Phanes, si Te appellauero scientificum rerumq; omnium tam ante quàm post gnarum. Nonne Tibi erant omnia præsentia præterita, quibus mundus de alijs triumphabat illicia? cùm cognitione incomparabili coram Te velut iam togato illa sistebas. Nonne mundus semper notauit Te mundum præterlapsa venturis in instanti copulasse, ventura infallibili mentis acrimonia penetrasse: penetrata occupasse: sic vt augeres exemplorum numerũ, ipse inter exempla numerandus. Totum hoc perbellè videbimus, si irretortâ palpebrâ reliquos suos scandentem gradus Phœbum nostrum intuendo persistemus.

Orbi Adolescentiæ subsequitur suo cum cursu Sago & Togæ fauens alter virilitatis Orbis, Excentricus simpliciter, qui tam secundùm conuexam, quàm concauam sui partem, globi terrestis centrum minimè curat. Pharetrato nostro Hecato Palladis serpentigera scientiæ ægide, tremebundaque hasta, non Parthorum spiculis, Orbem virilitatis conscensuro, valedicite omnia concentrica terræ blanda illicia, cunctorum incitamenta malorum: non

applau-

applaudens salue non, licet scandentem aspicitis sublimium honorum splendidam augem, satius vltimum quantocyus dicite vale, terrestria speciem aurei hami præseferentia blandimenta. Non vestris enim dolosis allectus illecebris non! ast dulci gloriâ Dei, hanc augem scandit: etenim ne lux sapientiæ eius sub modio ponatur: Bicipiti in Jagellonis Parnasso quanquam à nouem sororibus tempora illius duplici redimiuntur præ sacra lauru, Diuæ faciunt, vt virescente perpetuò fronte, nunquam intermorituram scientiam Ipsius, Orbi testentur. Quã enorme esset quam, si Tibi modò filiale os meum in iustam non prorumpat gratulatione Alma Mater! Induis Eum decore, qui amplum decus tuum mox futurus: laureâ exornas Illius tempora, qui aurea & Tibi, & toti Christianitati actutum effecturus est tempora: Philosophicis ac Theologicis Doctorum ornas insignijs, qui omnium Tuorum protinus Doctorum prodromus est inaugurandus. Nec aberrauit Auditores: lactauit filium, experitur Patrem, educauit Scientiarum ac virtutum medullis, agnoscit eum sui medelam; cumulauit gratijs, *Gratiâ* lætatur, cùm IOANNEM Patronum veneratur. Vniuersi Orbis lucidissimo competit Doci, vt quò assurgat altiùs, altiùs sublunaria oxyporo aspectu penetret. Academicus Sol noster supremum scandens Orbis Academici culmen,(cathedram intelligite,) tam altè scientifico animos auditorum penetrans lustrauit radio, vt altiùs illo nemo: adeo lucidè omnes difficultatum perplexitates ingenij sui claritate irradiauit, vt lucidiùs ipso ægrè quispiam: quod ipsa in Historiam Hominis Dei glossemata, Diui Euangelistæ Matthæi, manifestè testantur. Quantum verò prodigium fortunæ tum erat tuæ, quod meam quoq; Orationem dulci stupore abripit, inclyta Sophorum facultas, cùm Solem Istum, toties lustrantem tua subtilia dogmata, habuisti? An non more apis Matinæ, quod hic Augur Apollo, gratæ velut thymæ instillabat, thesium explanationi, vasto pectore, ceu ex ipso fonte, libens hausisti? Nonne secretiora naturæ, mira facilitate, quod etiam nunc in nouo inaugurando tuo Antesignano, licet ex sacratiori tantùm ipsius vestitu, experieris, ad habitum vsq; operandi traduxisti. Audisti tum D. JOANNEM CANTIVM totum gratiosum, & nihil acre indicantem; vnde res nomini conuenientes audisti? Vidisti totum placidum, totum amabile, & nihil lividum præsentantem, hinc Ambrosiam labentem è corde Ipsius vidisti. Sensisti totum amore Dei & proximi flagrans, nihilq; inimicum charitati demonstrantem, ideo nectar de pectore Ipsius fluxisse sensisti. Experta es totum voluntati superum conforme, & nihil à veritate dissonum adeo clarè ostendentem; vt clariora Calchas ad Troiam non potulerit vaticinia, nec certiores ex antro Cumano quàm ab ore Ipsius voces auditæ. Hæc sola tunc temporis Illius tundentia pectora, modò nostrûm, ne fratri dicamus fatue, vel ipsi irascamur ad vesperam sæpè ab ipso geminata metra perbelle testantur.

Conturbare caue: non est placare suaue,

Diffamare caue: nam reuocare graue.

Auspice Cœlo Princeps Planetarum, semper benignus, ideo cito passu labitur; Diuinoq; agitatus Spiritu, reciprocis semper itineribus consurgit, certis declinationibus cursus emetitur, effectus vt varios illosq; mirabiles, quò latiùs bonitas eius pateat, immundo mũdo producat. Sol noster mysticus, non recedendo à sanctitatis ecliptica, vbiq; misericors, vti IOANNES; optimam homini esse calens medicinam hominem, pari ratione cursus suos dirigebat; vt sic & reliquis mundi partibus, non soli Ja'gellonico Parnasso, natiuis donis subueniat. Hinc Arcticum versùs, pastorali, ouium calefacturus animos, monitione, Ilcussium ouile scandit, plùs moribus quàm verbis exempli præstiturus.

C Hinc

Hinc Antarcticis & Aequinoctialibus sua vt luce profit oris, Hierosolimam sacratissimo Redemptoris cruore sparsam petit, cuncta eius adyta, feruentissimo amoris Dei flagrans ardore penetrat; vbique radium de suo ore altissimè, quia humillimè prostratus, in terram, mittit, illamq; abundè densas peccatorum, non tam propriorum, quàm Orbis digerendo nubes, suo iubari; lachrymarum fontibus rigat, mirabiliter agendo in idem subiectum; nam amoris feruore ac riuo per genas stillante. Totus hoc, præter matutinas ad sepulchrū Domini mulieres, viderat Orbis, stupens, quàm summo mane illis in oris à nostris affulsit. Et ne Orientali etiam Cynthiæ pietatis suæ deesse videretur lumine, clarum se ibidem illi exhibuit, fidei Orthodoxæ symbola, Diuino planè entheo afflatus, clarè explicando. Sed eheu ingrata tantæ lucis, Castoris rata fuisse vel Pollucis fatuum ignem, cornigera Phœbe, contempsit illum, doctrinæ radium spreuitq;. Verùm age vt lubet age? multùm tuis perditis cōfisa tenebris non luci, noctiuaga Dichotome; veniet tempus, quo horrendo ocvæsu, Phœbo ab Isto afficieris, luceq; tua, quam æternam opinaris, sola, tibi relicta ephelide priuaberis, vel saltim ideo, quòd nunc repudio tantam Ipsius claritatem habes. Seruatoris nostrûm, emensus vestigia, metiri non, desistit Romanæ Vrbis, imò Orbis Splendorum, Patriarcha noster, cursus variando, Limina; quater dum Tymbos illorum lustrat. Ne fatigeris adeo D. Doctor ne fatigeris? magnis passibus dissita regna peragrans, nihil primæ curæ salutis parcendo: Cœlum videlicet non animum mutas, siquidem vires geris tutas: quia tot virtutum sacrarum centurijs munitas, quot sanctitas exigit postulatue. Iam Te, si comparare fas est, olim admirata Gracia Polonum Periclem eloquio; Isocratem venustate, Consum consilio, responsis Delon, suauitate Orpheum, dicendorum pondere Catonem, ingenio Stagyritā, fortitudine Achillem, patientia Vlyssem, sanctitatis ac virtutum elixir, & cur tamen vadis illuc, quò alij pergunt liberatum naturam intricatis vadis? Magnarum virtutum indiuiduus comes osorum inuidia, aperuit Auditores, quid negotij erat suæ cum sanctitatis radijs sæpius Quirinali in colle Patriarchæ CANTIO, dum ab ipso extorsit: *Iter Romanum purgatorium sibi fuisse.* Enimverò aliam, ego SOLE in isto cursûs tam crebri rationem deprehendi, quæ Eum illas in oras prehendit. Nequiuit deserere sibi ingenitam proprietatem SOL Academicus, cùm Cœlestibus imbutus, cœleste spirans Pneuma, cœlestiū etiam normam imitabatur. Voluitur proin Orbe cum suo quoquouersus, vt eius bonitas, effectus per producendos vniuersis manifestur. Parui quippe duxit Graciadum Vrbi, & non toti prodesse Orbi, millenos producens effectus, quibus viget eius sanctitas vltraq; illud tempꝰ memorabitur, quo stultorū diuitum superba, Pario de marmore fabricata mausolea, altaq; Regum trophæa, vltima dies annihilabit. Viget vigebitq; ac æternitatis fastis iam inscripta durabit, vt id grata posteritas veneretur, eiulantis famulæ mira sanctitatis illa efficacia, dum inflammatus radiante feruore amoris proximi, ex testis, (Cracouia teste) præstantiorem Mamertina Obbam reproduxit, lymphamq; terriuagæ Rudauæ liquidam, in niueam melcam, afflictæ vt succurreret, commutauit. Ibit in posthuma exempla æternùmq; manebit, illa Eius pietas, illa misericordia in antiquos Belizarios, sacram stipem in propylæo mendicantes, largè effusa, & rursus mirabiliter, in accumbentium præsentiā, in tryblio effecta, vel solo æstu charitatis, in fratres ab ipso dimanante, affecta. Prætercam modò licet illam, omnium tamen oculos ac mentem hæc rapiet, imò & eruditorum pennas, ne interitui detur, efficacem virtutem; quā in pruinosa niue Irum cubantem, & misericordiam, profusis per genas lachrymis, petentem, ardore quo flagrabat, nudis

nudis pedibus reuertens domum, calefecit: gratiam pro gratia, á mari gratiarum MARIA, ephestridemq; pauperi oblatam, vel ipsis in postibus Maioris Domûs, reportaturus. Taceam & Helidonem illum, aspectu hispidum, namq; stygijs satum vndis, Diuuo Mystæ, sancta sanctorum Cœlitibus litanti, insultantem, quàm magno omnium cum stupore, sanctitatis æstu adustum, admiranda metamorphosi in teterrimum transformauit Draconem, fateriq; quis sit coegit; taceam (inquam) tamen ista posteritatem stupefacient. O inauditi sanctitatis effectus, ipsaq; felicitate stipati? non nè perennius vobis exstruxistis monumentum, quàm Halicarnasso amor Arthemisiæ miraculum Orbis construxit. O admirabiles pietatis operationes? an perpetuitatem vestram diruere innumerabilis annorum poterit series, vel temporũ vnquam fuga annihilare. Paratæ sunt ac manebunt & illi SOLIS nostri virtuti non atrum sepiæ liquorem, sed laureato calamo Sacrum Musarum muricem profundere, Orbis panegyres; quæ ab ipso exibat, multa viuificabat, sanabat omnia, non vegetum reddebat neminem, quod ipso in igne Cracouiæ semel, mirabili adhuc apparitione D. Præsulis confortatus, multoties autem in mycrocosmos Orbe sedato, manifestè patet. Sed quid? contentusne his ad Bicipitem Parnassum Craci SOL noster effectibus? minimè Auditores: currit itaq; in Orbis Dominam Romam, virtute piorum radiorum effectus, illicò & ibi producturus. Peragrat quum ergo ac lustrat partim Turrigeræ Cybeles, partim Tridentiferi Neptuni, magnam regnorum partem, incidit sorte sanctitatis eius radius, cupidissimos metallorum in Ambrones, à quibus certè nec Ariadnæ filum Gnosiæ gracile, nec Icari pennæ Dedalæi veloces, quemquam educerent; ipsosq; irradiat. Phœbi operationum effectum scientes aurum, scrutantur Titanis nostri terræ sanctæ viscera, reperta obryza, vt auidi harpages tollunt, pluraque authophori liuidi indagant, nec reperiunt. Sed ehodum veneranda Ops, cur negas afferre Viro Sancto opem? Cur modò vt Israelitarum olim murmuratores, hos truculentos nostri Phanetis prædatores, euomens ignē, viuos, ingenti hiatu, non deglutis, ac terribili inexorabilis Rhadamanti tribunali non sistis? Cur ut Amphiaraum cum equis, pœnis eosdem afficiendo æquis, ore profundo præceps non hauris, ac in baratrum, super illorum semesa vt recubet ossa vorax Cerberus, non demittis? tam nefandum scelus vel hoc ipso vltura. Cœlum cur tuum celas præsidium? Cur ignipotentis Mulciberi fulminantia arma non sumis, & plusquam Giganteam audaciam Aethnam sub ipsam non trudis, quum auxiliaris Hercules denegat opem suæ trudis. Orbatum SOLEM nostrum Auditores videbant auro non virtutum speciminibus, minimè proin auxiliantur. Sciebant enim non virtutis atq; ingenij, sed fortunæ ac temporum hæc munera mobilia esse: nec aurum habere præclarum duxerunt cum Curio, imò eis qui haberent aurum imperare. Et ita est; vix namq; suæ sinceritatis luce adyta cordis illorum adeundo perculsit, extemplò eosdem sibi subiectos fecit, admirandos in pectoribus illorum producendo effectus: etenim fructus pœnitentiæ salutiferos. O quàm præclarum & posteritati à comptis decorisq; ingenijs enarrandum sanctitatis tum opus Vir inclytus Beatus IOANNES CANTIVS operatus est. Quàm stupendam viuidò eloquentiæ melius succo, quàm cedro atq; Aegyptio bitumine contra vetustatem muniendam virtutum operationem tunc exhibuit. Incidit in latrones, vt efficiat pœnitentiæ tyrones: spoliatur auro, ne illi æternitatis spolientur lauro: reuertitur ad illos, vt illi reuertantur ad Christum; fatetur culpā, ac petit veniam, vt ipsi quoq; fateantur scelus sic lucraturi veniam: cadit in terram, vt illos erigat à terra: reddit nummos, vt illos æternæ gloriæ hæredes

redes faciat summos. Et hæc erat hæc, quàm ego deprehendi Auditores cursûs Romani causa nostri SOLIS. Variabat cursus, vt pro oportunitate locorum varios effectus produceret. Voluebatur suo cum Orbe, vt toti eius benignitas manifestaretur Orbi. Rotabatur suo cum circulo, vt efficax Illius sanctitas, minimo pateret vniuersi circulo. Hinc & Romana mirata sunt Ipsius Cœlestis ingenij liquores nostra, ac Musarum medullam, imò & fauos venustatis plenos, sacris Heliconijs Palatijs, non melliferis Hyblæis aluearibꝰ depromptos, dum effusa verborum procella & glomeratis sententijs, Peripathi Sophorum, mira facilitate dogmata, planè explanabat. Sed properantes ad punctum cursus Orbis tertij colophonem huic assignemus.

Tertium tandem cursûs sui, prouectæ nimirum ætatis, globaturus Excentrici secundùm quid alteriùs gyrum, redux feliciter Cracouiæ adest. Graditur dum ergo notabili debilitate fractus, itineris clarum ostendens effectum, seq; verum sapientiæ gestorem, progreditur obuiam venienti Polonia, eòq; sanctiorem veneratur, quò aspicit ephelide omniq; genere incommoditatum macilentiorem. Effunditur adeò exultans, excipiendo eundem libēs, suo cum Parnasso Cracouia, vt dicas reuertentem salutaturas suum Syracusas exire Platonem. Alter hic Orbis, Excentricus secundùm quid, sapientûm demonstratione, parte concaua centro terræ Excentricus, conuexa verò Concentricus declaratur, quem senili etiam ætati jurè adiudicabis. Senectutis hunc Orbem simulatquè conscenderit, peridromidis assecutus metam, vniuerso Iagellonico, imò quid dico Iagellonico? toti Orbi proplasma omnium virtutum factus. Iam hîc probitatum fundamentum humilitatem, Diuum licet honoribus secundùm partem conuexam sublimem, vt ingentem Caucasū, in profundas valles, ad ima cuiusq; pedum ruentem, non quòd Concentricus sit terræ, vti grauatus annis, verùm quia humilis; sæpè spectares. Iam abstinentiam seruantem Orphicam, Milonis pertæsum gulam, afflata carne adurentem os proprium, pœnâ hâc appetitū vt castigaret suum, stupens videres. Iam castitatem, liliū inter spinas in mortalibus, non extra purum corporis illius domicilium, ast intra, qui exstructas à prouido Metello, vulgiuagæ Veneri extra Romam ædes venerabaris, idem venerareris. Iam liberalitatem omnibꝰ indigentibus liberali Probo, si comparare licet, copiosiùs elargientem, toti mundo libens propalares, prædicaresq; ad illum assiduos intrasse inopes, remeasse beatos. Contemplationem, quâ semper ceu igniuomo pyrobolo, ipse quandoq; Theandrico raptu sublatus, Cœlum expugnabat vt vim pateretur, non tam cerneres quàm sentires. Dicam paucioribus; ostendit se se non virtutibus obtemperantem, sed omnes stipendiarias sibi fuisse. *His lucens virtutum splendoribus sensim labitur in occasum*, vel ideo vt ibidem quoq; eius copiosiorem experiantur opem: vel vt Æterni Patris Filio Soli Iustitiæ orituro cedat: etenim mortalitatis ineluctabili lege nobis occidit, Christo postridie nasciturо. Enimverò quò properas splendor noster D. CANTI? ecquid Tuos indigenas relinquis in squalore, Tuæ præsentiæ iubar ab illis tollens. An radii Solis Iustitiæ Tuos enecant, aut cedere nostro de mesuranio ad Antipodas cogunt? imó mutuare lucem de ipsius inaccessibili luce, quò clariùs tempore necessitatum mundo fulgeas. Occidentem ac iam purpureas in balneo Oceani lauantē rotas Phœbū, erudito symbolographus lemmate insigniuit. *Occido clarior vt oriar.* Ad properantē sub vmbras mortis ne desperes in molestia quin gaudeas Polonia! cùm haud occidit & SOL noster sic, quasi non oriturus, sed abit vt mutuatus lucē, æternùm cœlo fulgeat, & afflictæ Patriæ opportuno tempore maioribus protectionis cum radijs oriatur: omnesq; opprimentes Christianitatem Planetarum

scintil-

ſcintillas diſpandat ac diſpellat. Hucuſq; Phœbum, Academicum tres orbes percurrentem, ac effectus varios vbiq; producentem inſpexiſtis Auditores. Videte etiam ab Occaſu quàm efficacia præſenti ævo operationum genera largè profundat.

Opinior veſtrûm auribus funeſtum illud ac terribile intonuiſſe claſſicû, quod furibundis cum minis Chriſtiano Orbi, indixit immaniſſima illa Orientis Bellua; tot regnorum funeribus ac Prouinciarum vaſtitate exultans; tot armis terras obſidens; cœlos ſagittis obumbrans; Neptunos compedibus vinciens; quot olim Xerxes: imò iam & vniuerſam, infanda bellorum rabie, Orthodoxam Rempub: afflixiſſe, arbitror Vos, quà foris, quà intus rectè ſenſiſſe. Semiformis namq; iſtius Machometi Phœbe, adeò non tam radiantē quàm coruſcam potentiæ lucem, Orbem per vniuerſum extendit dilatauitq;, vt omnes terras mariaq; emenſa ac parricidiorum furijs agitata, ipſi etiam Latio diras ruinas, totiq; Europæ funus meditaretur. Ergo fortè deſperabundis, ne vltimam nos reliqui internetionem patiamur proſpiciendum erit? Ergo iſtius tumidæ Cynthiæ opacâ caligine ne opprimamur, prouidendum? Ergo iam illius exercitum, rectiùs dicam, noua legionum examina, terras depopulatura, & ſiccatura fluuios, ne ab ipſis cæteri conteramur conculcemurq; extimeſcēda? Minimè minimè Auditores: videmꝰ etenim ſua cum luce, vt diſſipet hos tenebriones adeſſe nobis etiam ab Occaſu Solem Myſticum Acadamiæ B. IOANNEM CANTIVM. Oecumenicus enim Orbis Chriſtiani Præſes, qui ritè ſoluendi ac ligandi claues concreditas ſibi à Superis ad præſens feliciſſimè tenet INNOCENTIVS XI, vbi aduerterit Phanetem noſtrum, quoquouerſus vt ante protectionis radios explicare, & nondùm in Auge apotheoſeos conſiſtere, totus in hanc curam ac cogitationem compoſitus extitit, vt quantocyus culmen honorum Eccleſiæ Dei conſcendat, augurans Illum terribili Othomani Lunæ caliganti luci, ecclipſim mox teterrimam allaturum. Hinc Sancta Sanctorum honori eius fieri mandat. Hinc Canonicis choros ac pulpita tonis impleri iubet. Hinc triſtem eius occaſûs diem, licet ex horrida, etenim brumali, lætâ nihilominus: namq; peruigilio Natalis Chriſti inſignita die, Veſtæq; odoriferæ ſacrato Menſe, in præſentes rigido Marti dicatas horas transfert, vt ita maiori noſtrûm opportunitati occurrat. Prouidit enim tum, cunas quum Saluatoris Chriſtianus celebrat Orbis, incipere attolli in Hæmiſphærio macrocoſmos Solem Cœleſtem, ac omnia rediuiua, ſua luce præſtare, quod modernum denegat tempus, macilento deturpata colore cuncta exhibens: vel ideò, quia benignus Planeta à Libra declinat, & bellorum Præſes Hæmochares, noſtris maximè in oris dominari teterrimè auſpicatur. Monſtrat ergo nobis ortum noſtri Myſtici SOLIS luce hodierna, qui non tam plantarum ſuo lumine reuiuiſcenti gratanter ſubueniat neceſſitati, quàm totius Chriſtianitatis oppreſſæ armorum furentis Gradiui ſtrepitu; qui Boriſthenis venenatorum ſpiculorum & non cæliuagas nubes diſpandat; qui horrendos Helleſponti, & non æthereos turbines diſſipet; vt ſic Octo beatitudines in Octobri, Aquilæ Sarmatarum, totiq; Europæ, largiùs quàm olim fabuloſum per Iouis Taurum liberatæ, cœlitùs offerantur. Nec in caſſum Summum in terris Vicarium Chriſti hæc feciſſe conſtat: etenim armatus nouis honorum radijs, mutuatuſq; à Sole Iuſtitiæ inacceſſibilem lucem ac multipotentem operationem; & non exoratus vt patet ſua cum protectione nobis exoritur. Cynthia vniuerſi luminare minus, atteſtante magiſtrâ Aſtronomorum experientiâ, tum demum ecclipſari dicitur, cùm diametraliter Eclipticis in nodis luminari maiori opponitur. Sago & Togâ famoſiſſimam, vnde Reginam Vrbiū vocatam Romam,

 ſeptem

septem quæ vna sibi muro circumdedit arces, quæque aliquotiés Orientis Draconis caudâ est impetita, ad Occasum sitam: Bizantium autem, Draconis istius velut Caput, cui Luna Machometi insidet, in Oriente positum: nemo est qui eat inficias. Macte SOL noster macte Diue CANTI! auspicatò iam cæpisti Romæ sanctitatis & honorum radios Bizantium versùs, vnde tot sæcula Vniuersum obfuscantes Orbem, argentei scintillant crines, Phœbes Turcicæ potentiæ, ita explicare; vt libens fateatur, à Tuo glorioso ingressu in honorum augem, oris in Ausonijs, caudâ sui Draconjs nuper etiam lacessitis, se superbientem plenilunio felicitatum, cæpisse Tracijs in terris, capite proprij in Draconis, horrende ecclipsari. Expandisti iam nouiter adauctorum splendorum quaquaversus auricomum Tuum aspectum, & adeo replêsti totam Christianitatem ingenti lætitiâ, in protectionem lucido mutato iubari, vt recte Tibi illud tribuatur: *expectate venisti*. Apagesis noctiluca cum tuis fastuosis dictis, *Omnes sub iugo meo gemunt* Cynthia, apagesis: breui senties nihil suo statu perpetuò manere, imò honores, Regna, Imperia, cæteraq; omnia, in casu sita, ac temporibus gubernari. Fateberis nihil semper florere, quinimò ætatem succedere ætati, ludereq; Diuinam in humanis potentiâ rebus. Ac ita est Auditores: ex quo enim noua Apotheosi exornari, æternisq; Chronographorum fastis consumatæ sanctitatis inseri SOL CANTIVS auspicatur, extunc quasi redordiens his cum splendoribus, bicorni Orientis Lunæ, teterrimam cæpit inducere ecclipsim, in dies maiorem minitando. Nec gratuitò: in Apogæo enim noctiuaga suos dum absoluit cursus Phœbe, lustra ferarū abdyta lustrando, minori afficitur per experientiam ecclipsi. Perigæum cùm aduenict sui Epicicli adueniet Ipsi & vmbra maior. Calcabit vmbra terræ Illius Sanctæ, in honoris auge sitæ, tua cornua calcabit errans Heccate, deprimetq; ita, vt posthac nequeas superbum attollere caput. Indigna luce Ipsius, in tenebris plusquam Cymmerijs; nam Acherontis, æternùm delitesces, vel ideo quia radium doctrinæ Eius, & Lynceos animi penetrantem oculos, tum despexisti, quum ad Archiatri Nostri gloriosum sepulchrum Solymæ, eundem tibi libens indicabat, explicabat. Experieris Cerua quomodo rodenda vitis, cùm senties, immemorem beneficij omnes odisse. Sed quid dico experietur, imò iam & experta Auditores, illâ Viennensi inauditâ sæculis, & posteritati admirandâ victoriâ teste, quæ etiam in ipso æternitatis Capitolio eminet, terras peragrata. Quis enim Deus medijs bellorum in procellis, hæc otia fecit nobis; Saturniaq; propè curauit restitui Regna; si non ante conflictum ad sacras Tumbæ illius Aedes impetrata protectio: IOANNES enim IOANNI Clypeo fortiū, & Christianæ rei Statori dexteræ, suæ intercessionis potentiam dextrè admovens, æternum Lunæ Othomanicæ fecit defectum; Maximiq; Imperatorum cum gloria, Christianum Orbem, metu impiæ barbarorum tyrannidis exemit, ac labyrintheâ opacitate liberauit. Exurgat nunc sui ostentatrix vetustas, & innumeris literarum vulgata monumentis, jactet exempla, tremendi Herculis, vel furibundi Hectoris armipotentem fortitudinem prædicet, decantatū omnibus, Aegæi Iuuenis aliorumq; laudet officium, vt hæc Delphico Oraculo veriora esse successura posteritatis credat, quæ mendacijs Vatum caueatam fidem tempori debent: Tuam protectionem D. Patriarcha, sapientûm cætus ingenij humeris, & quasi ceruicibus supra ipsa mausolea veriùs ferent. Figent tibi trophæum æternitatis, quod nec liuor osor, aut diuinitatis arrosor: nec temporum profunda labes aut tabes deleat, imò quod Colosseo opere perennius sit, Chaldæosq; subruat ac euertat labores; siquidem Te Christianitas tota Generalissimum, ac primum post DEVM & MARIAM illo in passu sui GENE-

RALIS-

RALISSIMI Beatissimum Patronum vt agnouit fatetur, ac ouans veneratur.

Atque ita SOLEM Academicum tres vitæ glomerantē Orbes, stupendasq; Sanctitatis ac omnium Virtutum gratias vbiq; terrarum elargientem, vidistis Auditores. Audistis fatorum ineuitabili, cùm extingui videretur nube, vt inter nos tum demum radians luce inextinguibili: nam mutuata à Sole Iustitiæ DEO, cœpit operari.

Ergo quum immensum spatijs confecimus æquor.
Est iam tempus equûm, fumantia soluere colla.

Vnicum tantùm restat vt meam ad Te SOLEM, lucis incomprehensibilis Beatissimum, conuertam apostrophen, Diue Doctor, B. IOANNES CANTI. Implorantibus opem, nondum soluto mortalitatis tributo non denegabas, cur modò maiorem denegabis, cùm Elysios spatiaris per campos, persuauique frueris cœlituum nectare; cùm æternitatis gaudes hæreditate, dulcisonoque spirituum melo; cùm oculo ad oculum, quem desiderabat anima Tua, ingenti cum lætitia intueris. Ardentem amore Proximi, nondum expleto magno die, Te omnibus exhibuisti, quidni modò: cùm frueris colophone amoris huius, copiosâ mercede in cœlis. Explicabas Tuæ protectionis radios, nondum ad porticum æternitatis euocatus, toties priuatarum per adyta personarum, explicare digneris & modò ad extremam caligantis potentiæ internetionem hostis istius crudelissimi, cùm tota Christianitas supplex prostrata mendicat à Te eundem protectionis radium. Indigetem Te suum appellat, cùm terrestri miseria pressa ad Te appellat. Vocat misericordiam, cum Te IOANNEM interpellando sæpiùs vocat. Petit Tuam protectionem, quoties illam cornu acuto, Cynthia Machometi petit. Tantò perfectiorem dictitans futurum, quantò libentiùs misereberis illius doloribus. Progredere feliciter SOL Beatissime progredere, nec desistas, cœptum quoad opus magno Dei cum honore ad effectum deducas. Ante Solium Luminis inaccessibilis supplex Te prosterne, vt Patriæ, Academiæ, totiq; Christianitati redeant Saturnia Regna. Afflicta tot malorum Iliadibus Patria, non jam Tibi millenam Dictatoris Syllæ hac pro gratia, sed æternam litare Hecatomben pollicetur. Academia pacifica sui pro conseruatione, tot Tuo honori annorum dicare lustra, quot jam in Tui laudem protulerit verba, compromittit. Tota Christianitas suum Te æternum vocare spondet Patronum, vltra tot Olympiades, quot literas Tuo Nomini indignus

DIXI.